

3692

23

Q. D. B. V

1766 4

DE POENA  
DECRETI DIVI MARCI

EIVSQUE

AMBIGVO IN SAXONIA VSV

PRAESIDE

GEORGIO FRIDERICO  
KRAVSIO D

CODICIS PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO CVRIAE  
PROVINCIALIS CONSISTORII ECCLESIASTICI SCABINA  
TVS ET FACVLTATIS IVRIDICAE ASSESSORE

DIE VI IVNII A. R. S. CIOIOCLXVI

IN AVDITORIO MAIORE

PVBLICE DISSERT

IOANNES SIGISMVNDVS STRAVCH


DRESDENSIS

VITEMBERGAE

LITERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII  
ACADEMIAE A TYPIS







DE  
POENA DECRETI DIVI MARCI  
EIVSQUE  
AMBIGVO IN SAXONIA VSV

---

§. I.

VIS PRIVATA ORDINARIE PROHIBITA INTER  
DVM TAMEN LICITA EST



Quanto magis publice interest, et ad ciuilis societatis securitatem pertinet, ne quisquam ciuium priuata violentia vindicare iura sua auit, quin coram iudice potius, quas aduersus conciuem habere putat, petitiones, legitimo iuris ordine persequatur, istiusque auctoritate ac imperio morosum aduersarium, quo is suum

A 2

fibi

fibi tribuat, adigi curet: tanto solertius iura nostra in compe-  
 scenda vi priuata elaborant, poenasque sat graues iis minan-  
 tur, qui, spreto iudicis auxilio, proprio ausu, id, quod sibi  
 deberi existimant, ab altero inuito extorquere conantur. Equi-  
 dem, ne quid diffimulemus, variae omnino existere solent  
 species, quibus propositis, haut immerito, nec inuitis legibus,  
 vis quaedam priuatorum permittitur executioni. Sic FLOREN-  
 TINVS<sup>a)</sup> generatim praecipit, iure fecisse existimandum, quod  
 quisque *ob tutelam corporis* sui fecerit; quod inculpatae tu-  
 telae moderamen Imperatores DIOCLETIANVS et MAXIMIA-  
 NVS<sup>b)</sup> ad *rerum quoque defendendam possessionem*, quam  
 sine vitio tenemus, proferendum censuerunt, sicut etiam Im-  
 perator Carolus V.<sup>c)</sup> caedem alicuius licite (*aus unstraessli-  
 chen Ursachen*) factam iudicat, *so einer zu Rettung eines  
 ANDERN LEIB, LEBEN, oder GVT, jemand erschlaegt*. Imo  
 vero VLPIANO<sup>d)</sup> iudice, ei qui cum armis venit, vt nos  
 de possessione nostra deturbet, non resistere modo permissum,  
 ne deiciamur: verum eundem, nos expellentem, *in conti-  
 nenti rursus deicere* licet; quam sententiam quoque probaf-  
 se IULIANVM<sup>e)</sup> constat. Similiter IIDEM IVRISCONSULTI<sup>f)</sup>  
 debitori fugienti, ac secum ferenti pecuniam, auferre id, quod  
 debet, creditori concedunt; et Lege Iulia de adulteriis per-  
 missum fuisse *marito* adulterum deprehensum in vxore,  
 quem aut nolit, aut non liceat occidere, horas diurnas noctur-  
 nasque

nasque continuas viginti, in priuato, testandae eius rei causa, detinere carcere, iterum VLPIANVS <sup>g)</sup>) testis est, ac idem in *patre* adulterae seruandum esse censet, quod lex in marito expressit. Ita etiam animalium alienorum, quae nobis, inprimis depascendo, damnosae sunt, pignorationes, Germanorum moribus, dummodo iustus seruetur pignorandi modus, procul dubio licitas, ne iura quidem romana penitus improbasse, obseruauit A LEYSER. <sup>h)</sup>) Taceo plura, quae adhuc congeri possent, priuatis suo modo licitae violentiae exempla. Hoc vero expeditum est, quod omnis reliqua vis priuata, quam iura non speciatim permittunt, delictum sit, ideoque poenam mereatur.

a) FLORENTINVS in L. 3. D. de iustitia et iure.

b) in L. I. C. unde vi.

c) in CONSTITVT. CRIMINAL. Art. CL.

d) VLPIANVS L. 3. §. 9. D. de vi et vi arm.

e) IULIANVS L. 17. D. eod. tit.

f) in L. 10. §. 16. D. quae in fraudem creditorum.

g) VLPIANVS in L. 25. princ. et §. I. D. ad Legem Iuliam de adulteriis.

h) A LEYSER Meditar. ad pandect. Spec. CXI. med. I.

## §. II.

VIS PRIVATAE POENA PVBLICA HODIE EST  
ARBITRARIACIVILIS ETIAM POENA SIBIMET IPSI IVS DICEN  
TI INDICTA PER DECRETVM D. MARCI ET  
ALIAS CONSTITVTIONES ROMANAS

**P**ublico coercendam esse iudicio vim isthanc priuatam, cum publicum ea sit crimen, <sup>a)</sup> dubium non est; et hocce iudicio damnatis in tertiam partem bonorum publicationem imposuisse Romanos, IVSTINIANVS <sup>b)</sup> nos docet. Hodie vero illam arbitrarie, pro ratione violentiae, personarumque conditione, puniri, constat, et hanc poenam ad relegationem usque extendi solere, obseruat SCHILTERVS, <sup>c)</sup> atque CARPZOVIVS. <sup>d)</sup> Sed civilem etiam poenam in eum, qui priuata vi sibi et ipsi ius dicere ausus fuerit, statuisse iurium, praesertim romanorum, conditores, neminem qui legum studia colit, fugere poterit. Praecipue vero CALLISTRATVS ICIVS <sup>e)</sup> asseruauit nobis nobile istud decretum, quo MARCVS ANTONINVS Imperator iacturam iuris sui, illis minatus est, qui illud priuata auctoritate aduersus debitorem inuitum persequi moliantur; quod quidem decretum gemina vice in Pandectarum volumine recensitum legitur, <sup>f)</sup> his fere verbis: *Optimum est, ut si quas putas te habere petitiones, actionibus expe-*



experiaris. Cum Marcianus diceret: Vim nullam feci; Caesar dixit: Tu vim putas esse solum, si homines vulnerentur? Vis est tunc, quoties quis id, quod deberi sibi putet, non per iudicem reposcit. — Quisquis igitur probatus mihi fuerit, rem vllam debitoris, vel pecuniam debitam, non ab ipso sibi sponte datam, sine vlllo iudice temere possidere, vel accepisse, eumque sibi ius in eam rem dixisse, IUS CREDITI NON HABEBIT. Cui principali decreto conuenienter IULIANVS quem excitat VLPIANVS,<sup>s</sup>) in specie sibi propofita, qua quis vim adhibuerat debitori suo, vt ei folueret, negavit quidem, eum edicto Praetoris, quod vi metusque caufa gestum erit, teneri, propter naturam fcilicet metus caufa actionis, quae quippe damnum exigit. Sed nihilominus eum in Iuliam Legem de vi incidisse, et ius crediti amiffisse, pronunciauit. Similiter Imperatores, VALENTINIANVS, THEODOSIVS, et ARCADIVS,<sup>h</sup>) feure rescipserunt, vt, si quis in tantam furoris peruenerit audaciam, vt possessionem rerum apud fiscum, vel apud homines quoslibet constitutarum, ante aduentum iudicialis arbitrii violenter inuaserit, dominus quidem constitutus, possessionem, quam abstulit, restituat possessori, et dominium eiusdem rei amittat: Si vero alienarum rerum possessionem inuasit, non solum eam possidentibus reddat, verum etiam aestimationem earundem rerum restituere compellatur. Quam diuali-

dialibus Constitutionibus statutam poenam denuo repetiit, et inculcavit IVSTINIANVS. <sup>i)</sup>)

a) §. 8. I. de publicis iudiciis,

b) cit. §. 8. add. MARCIANVS L. I. D. ad L. Iul. de vi priuata, ad quam leg. conf. CORN. VAN BYNKERSHOEK *Obferuat. iur. rom.* L. VI. c. XV.

c) SCHILTERVS in *Exercitat. ad Pand.* XI. §. XVI.

d) CARPZOVIUS in *definit. forens.* P. IV. *Conft.* XXXV. *defin.* XII.

e) CALLISTRATVS *Lib. V. de cognitionibus.*

f) videlicet in L. 13. D. quod metus causa, et in L. penult. D. ad L. Iul. de vi priuata.

g) VLPIANVS in L. 12. §. 2. D. quod met. causf.

h) in L. 7. C. unde vi.

i) in §. 1. *Inft. de vi bonorum raptorum.*

### §. III.

QUANDO LOCVM HABEAT POENA DECRETI D. MARCI? AN IPSO IVRE IN EAM INCIDAT IVS SIBI IPSI DICENS?

**L**ate omnino patet vis ac potestas Marciani decreti, vtpote generalibus concepti verbis. Ideoque sine discrimine rerum, quae inuasiae sunt, illud locum habet, siue eae sint mobiles siue immobiles, itemque nullo habito delectu personarum, quae istius reos se fecerunt criminis.<sup>a)</sup> Neque ad istam duntaxat violentiae pertinet speciem, quae auferendo, et possessio-

feffionem alterius prorfus interuertendo committitur: verum in  
 eius decreti poenam etiam incidere eum, qui fibimet ipfi ius  
 dicturus, turbatiuam faltem, vel inquietatiuam, vt in fcholis  
 Iurifconfultorum appellari confueuit, vim admifit, cum aliis  
 compluribus argumentis ad fidem probabile fecit Antecessor  
 quondam iuris in Academia Kiliensi primarius, STEPHANVS  
 CHRISTOPHORVS HARPRECHTVS DE HARPRECHTEN-  
 STEIN,<sup>b)</sup> tum ex IUSTINIANI nouella conftitutione,<sup>c)</sup> qua  
 eum, qui fuperfite eo, quem putat fibi debere, afcendat do-  
 mum eius, et *moleftus fit fuperfitti homini, aut qui eius  
 funt*, vxori forte, aut filiis, aut domui omnino, *aut etiam  
 fignacula per propriam poteflatem imponere praefumat*,  
 non prius decreto, et officio legali feruato, poft eius, qui di-  
 citur debere, mortem, *actione* modis omnibus *cadere* iubet,  
 fiue iuftam habeat hanc, fiue non, fatis fuperque intelligitur,  
 hunc imperatorem poteflatem noftri Decreti etiam ad iftas,  
 de quibus diximus, violentiae fpecies, propagatam voluiffe.  
 Nihil quoque interefle putamus, num vis in ipfam, quae de-  
 betur, an in aliam a debitore poffeffam exerceatur rem.  
 Tametfi enim complures Gloffatorum hic in contrarias olim  
 abierint partes, perfuafi, ex verbis Decreti quandam apparere  
 reftrictionem, cum adiectiuum: *debitam*; peraeque ad verba  
 priora: *rem vllam debitoris*; quam ad fubftantiuum, quod  
 immediate praecedit: *pecuniam*; pertineat: merito tamen

B

hanc

hanc Accurfii eiusque sectatorum scrupulositatem ridet CUIACIUS,<sup>d)</sup> cum decretum manifeste loquatur de qualibet re debitoris, nec illud spectet, habuerit in ea ius creditor, nec ne. Id quod cum verba generalia: *rem ullam debitoris*; aperte fatis indicant, rum etiam ratio decreti, obicem quippe sibi met ipsis ius dicturis posituri, haut obscure nos docet. Ceterum ipso iure quidem iacturam rei suae, vel crediti patiem, qui contra auctoritatem Decreti impingit, huius ipsius verba: *ius crediti non habebit*; itemque, VLPIANI, qui cum IULIANO<sup>e)</sup> adeo verbis de praeterito conceptis: *eum, qui vim adhibuit debitori suo, ut ei solueret, — in Iuliam de vi incidisse, et ius crediti amisisse*; rem effert, quodammodo innuere videntur: attamen humanior omnino est sententia eorum, qui ius et actionem vim inferentis non ipso iure, sed per exceptionem demum oppositam aut actionem motam et a iudice decisam, expirare, nec iudicem, utpote ad quem poena haec civilis nihil attinet, exceptionem istam ex officio supplere debere, existimant.<sup>f)</sup> Hoc certum est, non licere illi, qui vim passus est, poenam istam Decreti D. Marci mutua vi priuata exequi, sed conditione potius ex hocce Decreto, seu, si mauis, ex L. 7. C. vnde vi<sup>g)</sup> experiri, et cognitionem causae iudici relinquere, eiusque expectare sententiam eum oportere.

a) vid. LAVTERBACHIVS in *Colleg. Pand. iboret. pract. Lib. XLIII. Tit. XVI. §. XIX.*

b) HARP.

- b) HARPRECHTVS AB HARPRECHTENSTEIN *in commentatione academica, de Decreto Divi Marci. Recul. Kiliae, anno 1725.*
- c) NOVELLA IVSTIN. LX. cap. I.
- d) CVIACIVS *in comment. ad L. 13. D. quod metus causf.*
- e) VLEPIANVS L. 12. §. 2. D. cod. tit.
- f) vid. SCHILTERVS *Exerc. ad Pand. XI. §. XVIII. et BERGERVS in resolutur. Leg. obst. Lib. XLIII. Tit. III.*
- g) IDEM BERGERVS *in supplementis ad electa disceptat. forensf. pag. 80. itemque MENCKENIVS in tractat. synopt. Pand. Tit. de vi et vi armata, §. VIII.*

## §. IV.

POENA DECRETI MARCIANI IN GERMANIA  
RECEPTA ET PVBLICE CONFIRMATA  
EXTRA SAXONIAM VIGOREM HABERE IN  
DVBIO PRAESVMENDA EST

Salubrem Decreti Marciani rigorem non omnino displicuisse Germanis, cum ex antiquioribus variarum, origine certe sua, germanicarum gentium legibus, tum ex recentioribus Germani Imperii patescit constitutionibus. Non vacat nunc sigillatim ea repetere, quae ex Wisigothorum, Ostrogothorum, Longobardorum, Francorumque legibus studiose congefist, priore in paragrapho laudatus HARPRECHTVS. <sup>a</sup>) Et quamvis ad intelligendum sit facile, in inficetis istis Germaniae nostrae temporibus, quibus ius fere solum in manibus erat positum, et priuatarum diffidationum licentia vndique inualue-

rat, Decreti nostri usum frustra quaeri: hoc tamen neminem, in pernoscendis imperii germanici iuribus vel leuem tantum ponentem operam, latere poterit, quod post stabilitam in Germania pacem publicam, poena Decreti D. Marci, iam tum cum iure Romano, hac quippe parte iuri germanico confono, <sup>b)</sup> tacite recepta, compluribus publicis confirmata sit legum monumentis. Complura ex iis, quae operose collegit idem HARPRECHTVS, <sup>c)</sup> huc spectantia loca, cum pleraque non adeo clare rem exprimere videantur, nec scriptioni nostrae praefiniti arctiores cancelli copiosam patiantur illustrationem, merito praeterimus, praesertim, quod luculentissima ORDINATIONIS CAMERALIS CAROLI V. anno Christi 1531 in comitiis Vormatienfibus confectae verba probationi abunde suffectura credimus. Ita vero ibi sancitum legitur: <sup>d)</sup> *Vnd ob sich je zu Zeiten begaebe, daß einer hobes und niedriges Standes den andern entsetzt, und des mit Recht überwunden waere, in Sachen, die den Friedbruch mit belangen, soll der Entsetzer dadurch directum dominium, das Eigenthum oder Haupt-Gerechtigkeit der Güter, oder Gerechtigkeit, um die der Streit gewesen, verlohren haben. So aber dieselbige Güter, oder Gerechtigkeit, gedachtem Entsetzer mit ihrem Eygenthum nicht zugehoeren, soll er deren Werth, dem Entsetzten, nach Ordnung gemeiner Rechte zu geben schuldig seyn.* Quam sanctionem idem ille Imperator postmodo

modo in RECESSV RATISBONENSI, <sup>e</sup>) anno CIO IO XXXII. condito, iterum confirmavit. At nihilo tamen minus de vsu, vel non vsu, huius, de qua tractamus, poenae, hodierno, in utramque disputare partem videmus haut incelebris famae iurisconsultos, quorum aliquos nominavit BERGERVS, <sup>f</sup>) qui inprimis cum SCHILTERO <sup>g</sup>) auctoritatem Marciani decreti hodiernam strenue propugnare studuit; cuius quidem sententiae, dummodo a moribus Saxonum, de quibus deinceps sigillatim dicendi locus erit, hic abstrahamus, tanto facilius subscribendum arbitramur, quanto magis veremur, vt solide demonstrari queat contraria istiusmodi consuetudo, cuius auctoritate leges imperii, quas modo citauimus, scriptas, in toto imperio germanico rursus sublatas esse, tuto satis contendere possimus, quandoquidem legem semel latam semper loqui praesumendam esse, nec solum non vsu legem tollere posse, expediti plane iuris est. <sup>h</sup>) Neque enim praeiudicatae istae sententiae quorundam dicasteriorum, ad quas prouocare solent, vsu decreti D. Marci contraria consuetudine, eaque contradicito iudicio multoties confirmata, oblitteratum aientes, hoc, quod volunt, euincere poterit, si cogitemus, quod totidem, imo plures adhuc, praeiudiciis istis contrariae, vsuque dicti decreti abunde testantes, opponi queant inclutorum collegiorum sententiae, quales sat multas adduxit iam saepius alle-

gatus HARPRECHTVS; <sup>i)</sup> quibus plures adiacere, idem foret, ac ligna inferre in fyluam velle.

- a) HARPRECHTVS *cit. comment. Sect. III. §. VII. sequ.*  
 b) SCHILTERVS *Exerc. ad Pand. XI. §. XIII.*  
 c) HARPRECHTVS *cit. comment. Sect. IX. §. X. sequ.*  
 d) ORDINATIO CAMERALIS *de an. 1521. Tit. XXXII. §. 2.*  
 e) RECESSVS IMPERII *de an. 1532. Tit. das Cammer-Gerichte betreffend; §. XV.*  
 f) BERGERVS *in resolut. Leg. obst. Lib. XLIII. Tit. III.*  
 g) SCHILTERVS *cit. loc. §. XII. XIII. et XIV.*  
 h) *L. 2. C. quae sit longa consuetudo. add. a LEYSER Medit. ad Pand. Spec. IX. med. ult. WERNHERVS Obseru. Select. for. P. IX. Obs. CXCIII.*  
 i) HARPRECHTVS *cit. comment. Sect. X. §. II. sequ.*

## §. V.

VSVS DECRETI D. MARCI IN SAXONIA  
 ADMODVM VACILLANS  
 MEMORANTVR TEXTVS QUIDAM IVRIS PROVIN  
 CIALIS. GLOSSARVM DISSENSVS NOTATVR

Quod vero speciatim ad Saxoniam nostram attinet, sitne hic in terris poenae decreti Diui Marci quaedam auctoritas nec ne? grauiorem omnino dubitandi causam praecipuus Saxonici nostri iuris fundus, ius scilicet Prouinciale, gignere videtur. Bini potissimum in illo occurrunt articuli, in quibus memoriae proditum est, Saxonum moribus eum, qui priuata



priuata vi alienam inuasit possessionem, ad restitutionem rei ac praeterea ad multam, tam iudici, quam laeso pendendam, obligari, nulla simul facta mentione iacturae iuris, quod inuasori rei competierat. Alter locus IVRIS PROVINCIALIS SAXONICI, huius est tenoris: <sup>a)</sup> *Wes sich ein Mann mit unrechter Gewalt unterwindet, das ihm denn wieder mit Recht abgewonnen wird, er muß es mit Busse und Wette lassen.* Alter ita sonat: <sup>b)</sup> *Wer dem andern ichts des Seinen nimmt, mit Gewalt oder ohne sein Wissen, es sey wenig oder viel, das soll er ihm wiedergeben mit Busse.* Equidem intercedit hic SCHILTERVS, <sup>c)</sup> negans, textus istos quaestionem de occupatione rei, in qua ius aliquod praetendit inuasor, attingere, sed vtrumque articulum solummodo de inuasore rei alienae, euictae, et propterea restituendae cum multa, disponere contendit. Attamen nec hoc diffiteri audeat Schilterus, nusquam in iure Saxonico sancitam legi poenam amissionis causae, ob rem suam, proprio ausu alteri inuito ereptam; ideoque rem hic recidere ad Glossas et interpretes, ipsemet fatetur. Glossatores vero si consulimus, hos produxisse istos textus ad eam etiam speciem, qua quis rem suam, priuata vi, ex alterius possessione aufert, dubitari omnino nequit: Sed de poena amittendi iuris, quod circa rem ereptam habuit inuasor, diuerso illos iudicasse modo deprehendimus. Iuris provincialis glossator, quem merito reprehendit BRVNQVELLVS, <sup>d)</sup> quod

quod frequenter mores patrios ex iuribus peregrinis, romano scilicet et canonico exponere intenderit, et sic ius patrium cum peregrino haut raro turpiter confuderit, in definienda nostra quaestione aliquam romani ac domestici iuris tentavit mixturam, distinguens inter vim publicam commissam, et inter priuatam duntaxat exercitam vim. Audiamus eum ipsum ita commentantem: °) *Diese Gewalt ist zweyerley: Die eine Gewalt heist, die einer OHNE GERICHT thut; Der sich des seinen also unterwindet, der giebt nach unserm Recht Wette und Busse, und muß jenem das Gut wieder in seine Gewebre lassen, als lang, biß er ihm wiederumb seine Gewebre breche mit Recht — Die andere Gewalt ist, die da geschicht MIT GEWAPNETER HAND; Vnterwindt sich so einer auch des seinen, und haett es jener in Gewaebren, dem er es nahm, und klaget es jener bürglichen, der darauf saß, DAMIT VERLEVRT DIESER SEINE ANSPRACH, und hat das Gut dazu verlohren, als die Leges sprechen: ff. vi bono rapt. §. sed. ne dum. et C. eod. tit. L. si quis in tantam etc. ¶*) At e contrario GLOSSATOR IVRIS WEICHBILDICI SAXONICI generatim negare viderur, moribus Saxonum in poenam amissionis iuris sui incidere violentum rei occupatorem. Ita enim ille: §) *Welcher Mann sich mit unrechter Gewalt unterwindet, darumb sich dieser Rechtes nie gewegert hat, des seinen, das ein ander unter ihm hat, das muß*

muß er jenem in sein Gewehr wieder lassen, und hat des  
 seinen, als viel, darzu verlobren. *Inst. vi bon. rapt. §. sed si  
 quis contra statutam, et L. si quis in tantam etc. C. unde vi. Er  
 mag aber darnach nicht wieder darauf klagen; ABER NACH  
 UNSERM RECHT MAG ER WOHL WIEDER DARZU KOMMEN,  
 SO ER DIE BYSSE GIEBT. vt Land - Recht Art. XLIII.  
 Lib. III. Quem ad locum, in editione Zobelii nota haecce  
 margini adiecta legitur: Iure Saxonico non habet locum Con-  
 stitutio L. si quis in tantam, etc. <sup>h)</sup> sed eius loco datur  
 Bussse. Quae eadem obseruatio in margine quoque glossae ad  
 Ius feudale Saxonium cap. LXIX. repetita habetur.*

a) IVS PROVINCIALE SAXONICVM L. III. Art. XLIII.

b) IDEM IVS PROVINC. Lib. III. Art. XLVII.

c) SCHILTERVS Exerc. ad Pand. XI. §. XIV.

d) BRVNQVELLVS in hisfor. iur. Parr. IV. c. VI. §. XIV.

e) GLOSSA GERMAN. AD IVS PROVINC. Art. XLIII.

f) add. EANDEM GLOSSAM ad L. II. Art. LXX. IVR. PROV. itemque ad  
 cap. LXIX. IVRIS FEVDALIS SAXON.

g) GLOSSA ad IVS WEICHBILD. Art. XXIX.

h) L. 7. C. unde vi.

## §. VI.

DISSENSVS IURISCONSULTORVM SAXONICORVM  
 DE VSV DECRETI D. MARCI NOTATVR  
 CARPZOVII NEGANTIS SENTENTIA IN PRAXI  
 HVCDVM PRAEVALVISSE VIDETVR

**N**emo igitur, istas glossatorum iuris Saxonici diuerfas opiniones considerans, mirabitur dissensum recentiorum patrii nostri iuris interpretum, siquidem alios ex his discrimen inter vim publicam atque priuatam in quaestione de vſu Decreti D. Marci adoptare, alios, sine isto discrimine poenae Decreti in Saxonia generatim locum facere, alios denique nullam omnino isti poenae inter Saxones concedere solere auctoritatem, animaduertat. Et eorum quidem opinionem, qui vi publica admissa, causam et ius ipsum rei violenter ereptae perdi, vim autem priuatam tantum multa, iudici pariter ac vim passo praestanda, expiari censent, in Scabinatu Lipsiensi olim obtinuisse, tradit ZOBELIVS. <sup>a)</sup> Inter hos vero, qui posthabita ista differentia simpliciter Decreto D. Marci in nostrate Saxonia locum asserere student, HENNINGVM GOEDEN <sup>b)</sup> ante bina abhinc Secula et quod excurrit ordinis nostri iuridici ordinarium, ceu praecipuum huius sententiae patronum, laudat SCHILTERVS, <sup>c)</sup> qui et ipse in hanc sententiam quaedam dicasteriorum citauit responsa, quemadmodum STRYKIVS <sup>d)</sup> quoque huic

huic subscripsit opinioni, WERNHERVS<sup>e</sup>) autem eandem tribus, ab ordine nostro Vitembergenſi in annis 1704. 1705. et 1707. pronunciatis confirmavit ſententiis, qualem etiam produxit HORNIVS, <sup>f</sup>) ac plura adhuc adiecit collegiorum iuridicorum reſponſa, iam ſupra citatus illuſtris famae iuriſconſultus Saxonicus, IOANNES HENRICVS BERGERVS, qui praecipue uſum Decreti Marciani in Saxoniciſ terris, variis in ſcriptis ſuis adſtruire laborauit. <sup>g</sup>) Denique ex iis, qui nullam omnino iſti Decreto in foris Saxoniciſ tribuendam eſſe exiſtimant auctoritatem, praefertim nominandus eſt CARPZOVIVS, <sup>h</sup>) cuius tanta fere penes pragmaticos noſtros eſſe conſuevit auctoritas, quanta apud Romanos fuerat Aemilii Papiniani iuriſconſulti, de quo adeo imperatores THEODOSIVM et VALENTINIANVM publice edixiſſe conſtat, vt paribus iuriſconſultorum ſuffragiis inter ſe collidentibus, tanquam Mineruae calculo, ea pars vincat, quae ſibi addictum habeat Papinianum. <sup>i</sup>) Complures vero iuriſconſultos Saxonicos in ſuas partes vocat Carpzovius, et inter hos quoque BENEDICTVM REINHARDTVM, qui iam ſuo, quo vixit, aevo, Seculo ſcilicet decimo ſexto, uſum Decreti Marciani in iudiciis Saxoniciſ aſſerturis, fori conſuetudinem aduerſam fuiſſe, teſtatur eſt. <sup>k</sup>) Sic etiam STRYKIVS non uſum huius decreti in Saxonia expeditum eſſe autumat, et quamvis ipſe ex Gödenii atque Schilteri ſter partibus, ſtatim tamen haec ſubmonet: *inualuit tamen Carpzovii ſententia*

*tentia in foris Saxonice, ut hinc praxis, legibus contraria, ibi sit in confesso.*<sup>1)</sup> Imo vero, ne BERGERVS quidem dissimulare penitus potuit, ipsos antecessores suos quondam contra vsu Decreti D. Marci pronunciaffe, quam in rem exhibuit responsum aliquod, Mense Martio anni 1675. a Scabinatu Vitembergenfi datum, in quo pronunciatum est: *Daß bewæhrter Rechts - Lehrer Meynung nach die Rechte, nach wvelchen sich ein eigenthaetiger Creditor seines crediti verlustig machet, zur Observanz in diesen Landen nicht gekommen.*<sup>m)</sup>

- a) ZOBELIVS in *addit. ad Art. XLIII. et XLVII. iur. prou. Sax. et in differentiis iur. ciuil. et Saxon. Part. IV. diff. XIV.*
- b) HENNING. GÖDEN *Consil. LXVIII.*
- c) SCHILTERVS *Exercitat. ad Pand. XI. §. XVI.*
- d) STRYKIVS in *Vsu Pand. mod. L. IV. Tit. II. §. IIX.*
- e) WERNHERVS *Observ. for. P. I. obs. CCIII.*
- f) HORNIVS *Consult. et Responf. Classe IX. resp. XVII.*
- g) BERGERVS in *Elect. discept. forens. Tit. V. Observ. VI. not. 4. et in Supplement. ad h. l. pag. 76. nec non in Resolut. leg. obs. Lib. XLIII. Tit. III. itemque in tractatu de usu actionum p. 94. et in Oeconom. iur. L. III. Tit. IX. §. VIII. not. 2.*
- h) CARPZOVIUS in *definit. forens. P. IV. const. XXXV. def. XI.*
- i) v. L. I. COD. THEODOSIANI *de respons. prud. et ad hanc leg. IACOBVS GOTHOFREDVS in commentario suo.*
- k) BENED. REINHARDTVS in *differentiis iur. ciu. et Saxon. diff. II. al. 85.*

l) STRY-

l) STRYKIVS *cit. loc.*

m) BERGERVS in *Supplement. Elect. disc. for. pag. 78. sequ.*

## §. VII.

BERGERVS SPE SVA, DECRETVM D. MARCI IN  
ORDINATIONE SAXONICA RECOGNITA CON  
FIRMATVM IRI EXCIDIT  
MEMORATVR SPECIES ORDINI NOSTRO ALI  
QVANDO PROPOSITA, IN QVA DEFINIENDA  
CARPZOVII SENTENTIA CONTRA BERGE  
RVM OBTINUIT

**N**ouum tamen, idque firmissimum robur ac praesidium  
suae sententiae obtinuisse sibi visus erat Bergerus per  
istud, quod Electis suis disceptationum forensium inferendum  
curavit, ordinationis Processus Saxonici reuisae specimen, de  
quo in comitiis prouincialibus, anno superioris seculi nonagesi-  
mo nono indictis, tractatum quidem fuerat, quod tamen Augu-  
stissimi Regis auctoritatem adhuc expectabat. Proiecto isti or-  
dinationis recognitae expressa haec inserta fuerant verba: <sup>a)</sup>  
*Hierüber soll auch einem Klæger nach Gelegenheit derer  
Faelle, sich derer actionum poenaliu in duplum et quadru-  
plum, und dergleichen, so vweit dieselbe der Verfassung un-  
serer Lande nicht zuwider, vwie nicht vweniger des  
DECRETI D. MARCI in L. 13. D. quod met. caus. et L. 7. C.  
vnde vi, zumahl selbiges in denen Reichs - Abschieden de*

*ao. 1521. rubr. wie es in Irrung der Possession etc. §. und ob  
 sich etc. item de anno 1532. rubr. Cammer- Gerichte etc. §. 15.  
 ausdrücklich bestaetiget, gebührend zu gebrauchen nachge-  
 lassen seyn.* Sed Bergerum spes, quam de subsequutura confirma-  
 tione Regia ac Electorali eius sanctionis conceperat, fefellit.  
 Postquam enim in lucem prodiit exemplar ordinationis reuifae,  
 auctoritate legislatoria Augustissimi Regis ac Principis Electo-  
 ris nostri FRIDERICI AVGVSTI I. piae memoriae, anno  
 MDCCCXXIV. publice promulgatum, apparuit, nullam omnino  
 Decreti Marciani in Lege ista publica factam esse mentionem;  
 Vnde haut vanam capere licet coniecturam, noluisse tum serenif-  
 simum Saxoniae Legislatorem Decretum istud auctoritate publi-  
 ca in terris suis introducere. Quod quidem argumentum praeci-  
 pue mouit Ordinem nostrum Iurisconsultorum Vitembergen-  
 sium, vt, cum duodecim ferme abhinc annis Acta huc transmit-  
 terentur, in quibus actor, cuius res quasdam creditor, in securi-  
 tatem crediti sui, vi priuata occupauerat, restitutionem spoliū vr-  
 gebat, simul vero, vt reus in poenam quoque Decreti D. Mar-  
 ci condemnaretur, anxie rogabat, prouocans ad auctoritatem  
 Bergeri, aliorumque Ictorum Saxoniorum, vsum eius poenae  
 adstruentium, reum quidem, vt par erat, restituere spoliū iu-  
 beret, referuata tamen eidem persecutione legitima iuris crediti  
 sui, idque, his ex rationibus: *Dieweil in denen Saechsischen  
 Rechten, daß eine angemaste Selbst- Hülffe den Verlust der  
 Forde-*



*Forderung nach sich ziehe, verordnet nicht zu befinden, vielmehr die Glosse des Saechsischen Weichbildes ad Articul. XXIX. bezeuget, daß sothane in denen gemeinen Rechten gegründete Straffe in Sachsen nicht üblich sey, und daher bevvaehrtester Rechts-Lehrer Meynung nach, auf poenam Decreti D. Marci in diesen Landen nicht erkannt vverden mag, v. Carpzov. P. IV. Const. XXXV. def. XI. et ibi cit. DD. vvoorgegen darauff, vvas Bergerus in Elect. discept. for. Tit. V. obs. VI. not. IV. aus einem damabligen Entwurff zu einer erlaeuterten Chur - Saechsischen Proceß-Ordnung angezogen, kein gegründetes Abschen zu richten ist, in mehrerer Erwægung, daß sothanes Proiect entworffener massen allerhoechsten Orts nicht auctorisiret, vielmehr in der nachgebends im Jahr 1724. ins Land publicirten Chur-saechsischen erlaeuterten Proceß-Ordnung dasjenige, so in jenem von der Einföhrung des besagten Decreti D. Marci enthalten war, gaentzlich übergangen worden, hieraus aber, daß man allerhoechsten Orts die Straffe sothanen Decrets allhier nicht eingeföhret, sondern es bey der bisßberigen Observantz diesfalls gelassen wissen wollen, nicht undeutlich abzunehmen ist. Interim Ordo*

XXIV DE POENA DECRETI DIVI MARCI ETC.

do noster, ante aliquot annos a SERENISSIMO LEGISLATORE SAXONE ad emendandum ius Saxonicum aliquam symbolam conferre iussus, inter alia dubii iuris capita, huius quoque, de quo differuimus, dissensus Iurisconsultorum Saxonorum de Decreti Marciani in nostris terris auctoritate, mentionem iniecit, debita expectans deuotione, quid SAPIENTISSIMO PRINCIPI nostro, pro abolenda ista iuris controuersia, clementissime decernendum videatur.

a) BERGERVS in *Electis discept. for. Tit. V. pag. 126.*

T A N T V M



NOBILISSIMO  
RESPONDENTI SVO

S. D. P.

P R A E S E S



*Insigni plane perfundor laetitia, CHARISSI-*  
*ME STRAVCHI, quod legalis scientiae*  
*studia TVA, magna quondam industria*  
*in academia nostrate culta, sed aduersa valetudine,*  
*cuius cura TE postmodo ad patriam urbem Dres-*  
*dam reuertere coegerat, turbata ac interrupta, tan-*  
*ta tamen absoluisse TE diligentia intelligo, vt nunc,*  
*annuente CLEMENTISSIMO PRINCIPE REGIO,*  
*SAXONIAE ADMINISTRATORE SERENISSI-*  
*MO, publica ista eruditionis in iure specimina ex*  
*voto edere valeas, quibus aditum TIBI ad obti-*  
*nendam causarum in foro perorandarum faculta-*  
*tem*

tem possis parare. Quare, cum TIBI, dissertatio-  
nem de Decreto Diui Marci, eiusque ambiguo in  
Saxonia usu, publice iam defensuro, me Praesidem  
eligere placuerit, non sine eximio voluptatis sensu  
hocce subire munus paratus sum, lubentissimus eru-  
diti conflictus comes peraeque, ac virtutis TVAE  
integerrimus testis futurus. Faxit diuinum numen,  
vt cunctas res TVAS peragas feliciter, et indefes-  
sae industriae messem imposterum facias vberri-  
mam. Mibi vero, quod haecenus fecisti, porro  
quoque fauere haut desine. Dabam Vitembergae  
d. xxxi. Maii A. R. G. cId Id cc LXVI.







Wittenberg, Diss., 1765-66  
X 22842 94

ULB Halle

3

007 439 563



v. 18









8692

23

1766 4

Q. D. B. V

DE POENA  
DECRETI DIVI MARCI

EIVSQUE  
AMBIGVO IN SAXONIA VSV

PRAESIDE  
GEORGIO FRIDERICO  
KRAVSIO D

JURISCONSULTI  
JUDICIS PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO CVRIAE  
PROVINCIALIS CONSISTORII ECCLESIASTICI SCABINA  
TVS ET FACVLTATIS IVRIDICAE ASSESSORE

DIE VI IVNII A. R. S. CIOIOCCCLXVI

IN AVDITORIO MAIORE

PVBLICE DISSERTET

JOANNES SIGISMVNDVS STRAVCH  
DRESDENSIS

VITEMBERGAE

LITERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII  
ACADEMIAE A TYPIS

